



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ  
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,  
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa  
Canonica Deductus**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1708**

607. An transferre possit beneficia ab ecclesiis collapsis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

non valebat; dum resignatio non nisi coram eo fieri possit, qui habet potestatem invitum destituendi beneficio, quam Capitulum tunc non habebat) non nisi potestate Episcopali sede vacante ad se devoluta potest istorum beneficiorum resignationes non secus, ac dicta potestate recipere tunc potest aliorum beneficiorum resignationes, utpote jam pollens ea jurisdictione Episcopali ad se devoluta potestate illa destituendi quoad beneficia omnia. Jam vero receptio illa resignationum est jurisdictionis ordinariae, & plerumque, ut dictum supra ex Azor, necessitatis, non voluntatis. Unde merito dubitari possit, an non illa potestas recipiendi resignationes ex generali commissione Vicariatus transeat in Vicarium; sicut e contra indubitatum videtur, illam non transire in illum sine speciali mandato, si Capitulum jam antecedenter sede plena de se habuisset potestatem recipiendi resignationes certorum beneficiorum.

2. Resp. secundò: Resignationes beneficiorum factas permutationis gratia, nullatenus recipere potest Vicarius; quia nec illas recipere potest Capitulum juxta dicta supra.

*Questio 606. Quid possit Vicarius Capitularis vacante Parochia, & in specie circa habendum concursum.*

Resp. Potest Vicarius hic vacante Parochia omnia facere, quae ex dispositione Tridentini sess. 24. cap. 18. praecedere debent ejus collationem. Sed habita notitia vacationis providere potest illi ecclesiae de idoneo Vicario cum assignatione congrua portiois, proponere edita, examinare per concursum deputare Examinatores in Synodo. Ventriglia loc. cit. §. 2. num. 50. sic decisum testans per S. Congregationem Concilii in una Toletana, anno 1577. Quin & procedere potest usque ad dignioris electionem. Ventriglia loc. cit. dicens sic verè servari in praxi, quod Vicarius Capituli factio examine per concursum nominet Papa digniorem. Quin etiam, ut dictum supra ex Cardinale de Luca, & Fagnano, non potest Capitulum juxta dispositionem Tridentini hanc ipsa sibi reservare, aut per seipsum Capitulariter expedire, sed necesse habere illa facere per Vicarium suum. Unde jam etiam inferitur, non egere adhuc Vicarium speciali mandato (etsi de cetero sint diversa: Capitulum teneri facere aliquid per alium: & illum hoc posse sine speciali commissione Capituli) si enim non potest ea sibi reservare Capitulum, ut ait Cardinalis de Luca, & ea aliàs spectant ad jurisdictionem ordinariam, & quidem necessariam, ultra generalem commissionem Vicariatus opus non erit commissione speciali, tamen ea aliàs egeret ad hanc Vicarius Episcopi; dum ei liberum est per se, & absque suo Vicario hanc exercere, non item Capitulo. Porro quod specialiter spectat ad deputationem, vel subrogationem Examinatorum Synodaliū, poterit quoad hoc punctum Vicarius, quod supra diximus de hoc de Capitulo, deberique hoc iptum fieri per Vicarium Capituli, adeoque de hoc parimodo, ac de ceteris loquendum.

P. Lewrenii Tract. III. De Cap. sed. vac.

*Questio 607. Num Vicarius Capituli possit transferre beneficia ab ecclesiis collatis?*

Resp. Affirmativè. Fagnan. in cap. his qua. de major. & obed. num. 56. ubi: S. Congregatio censuit, facultatem transferendi beneficia simplicia ab ecclesiis collatis competentem Episcopo ex Tridentino sess. 21. cap. 7. transire in Vicarium Capituli sede vacante: quippe decretum illud non dicit simpliciter: *authoritate apostolica*, sed additâ particula *etiam*, quae est implicativa jurisdictionis ordinariae.

*Questio 608. Quid possit Vicarius Capituli circa uniones beneficiorum faciendas, & rescindendas; item circa dismembrationem, & extinctionem beneficiorum?*

Resp. in genere, posse illum, quod potest in hoc puncto Capitulum, proinde videnda, quae dicta sunt supra. Videtur tamen egere speciali ad hanc Capituli consensu, si non commissione; cum & ipse Episcopus facturus uniones & suppressiones egere videatur consensu (de quo tamen vide dicta de unione & suppressione beneficiorum in Foro meo benefic.) & requisitione Capituli Cathedralis.

*Questio 609. Quid possit hic Vicarius quoad emolumenta jurisdictionis?*

Resp. Reditus, proventus, emolumenta, etiam sigilli, vel cujuscunque generis, etiam ex jurisdictione provenientia, uti Capitulum, ita etiam Vicarius illius sibi applicare nequit; sed reservanda successori, nisi forsitan alicui sint debita, Pax Jord. lib. 1. 2. tit. 2. num. 22. & 23. juxta Clement. statutum de electi. & DD. ibi. Quin & emolumenta communia ipsi Episcopo cum Capitulo pro ea parte, qua Episcopum contingunt accumulanda, & successori reservanda ab oeconomio. Pax Jord. cit. num. 22. ex Quarant. & Cardinali. Hujus rationem, & objecta in contrarium soluta ex Laym. vide supra, ubi num Capitulum sede vacante obtinere possit obvientia emolumentorum spectantia aliàs ad Episcopum.

*Questio 610. An hic Vicarius in hoc munere suo occupatus, & ideo absens à choro lucrari possit distributiones?*

Resp. Vicarius Capituli, dum est Canonicus, seu de gremio Capituli, non solum in absentia lucratur fructus, sed & distributiones. Garcias part. 3. cap. 2. num. 358. citans Pavin. de off. & potest. Cap. sede vac. part. 2. quest. 10. num. 5. Rebuff. in pr. benefic. de Vicar. Episc. num. 5. Quam sententiam tenet etiam Diana part. 8. tract. 2. resolut. 67. citans Escob. de hor. Canon. §. 2. de distribut. nu. 218. Cenid. qq. canon. quest. 1. num. 72. qui tamen posterior id ipsum extendit ad Canonicos Cathedralis electos in Vicarios Generales, Officiales, Visitatores, non distinguendo inter Vicarios Episcopi, & Capituli; & etiam ratione horum officiorum assignetur illis salarium.